

ex diuersis causis exortas, atq; etiam ut congruentius, maiori-
 riq; cum deliberatione omnia procedant; nempe ut dog-
 mata cum ijs qua ad reformationem spectant, simul trac-
 tentur, et sanciantur ea, qua statuenda uidebuntur tam
 de reformatione, quam de dogmatibus in proxima Sessione
 quam omnibus indicit in diem xvi. subsequentis mensis
 July definienda esse decreuit. Hoc tamen adiecto, quod
 dictum terminum ipsa sancta Synodus pro eius arbitrio
 et uoluntate, sicuti rebus Concily putauerit expedire, etiam
 in generali Congregatione restringere, et prorogare libere
 possit et ualeat.

sessio .5.
 (13)

Doctrina de Cōmunionem sub utraq; specie, et paruulorum
 publicata in Sessione quinta s. Cone. Trident. sub S. mo. 11.
 Pio. 22. iii. die xvi. mensis July 1562

Sacrosancta, Oecumenica, et generalis Tridentina Synodus in
 spiritu sancto legitime congregata presidentibus in ea eisdem
 Apostolica sedis Legatis, cum de tremendo, et sanctissimo Eu-
 charistia Sacramento uaria diuersis in locis errorum mon-
 stra nequissimi demonis artibus circumferantur, ob que in
 nonnullis Prouincijs multi a Catholica Ecclesia fide, atq;
 obedientia uideantur discessisse, censuit ea, qua ad Com-
 munionem sub utraq; specie, ac paruulorum usum pertinent
 hoc loco exponenda esse. Quapropter cunctis Christi-fidelibus
 interdicit ne posthac de ijs aliter uel credere, uel docere,
 uel predicare audeant, quam est his Decretis explicatu
 atq; definitum

Prohemium

Cap. 5^m Laycos, et clericos non confuentes non adstringi
 ad Cōmunionem sub utraq; specie

Itaq; sancta ipsa Synodus a spiritu sancto, qui spiritus est sa-
 pientia, et intellectus, spiritus consilij et pietatis edocta

atq; ipsius Ecclesia iudicium, atq; consuetudinem sequuta
declarat, ac docet, nullo Diuino præcepto Laycos, et clericos
non confuentes obligari ad Eucharistia Sacramentum
sub utraq; specie sumendum: neq; ullo pacto, salua fide, du-
bitari posse, quin illis alterius speciei Communio ad salutem
sufficeret. Nam etsi Christus Dominus in ultima cena
uenerabile hoc sacramentum in panis et uini speciebus
instituit, et Apostolis tradidit. non tamen illa institutio, et
traditio eo tendunt, ut omnes Christifideles statuto Dni
ad utramq; speciem accipiendam astringantur. Sed neq;
ex sermone illo apud Io. vi. recte colligitur utriusque
speciei Communio a Domino præceptam esse, utcumq; iux-
ta uarias sanctorum Patrum, et Doctorum interpretatio-
nes intelligatur. Namq; qui dixit Nisi manducaueritis
carnem filij hominis, et biberitis eius sanguinem non ha-
bebitis uitam in uobis. dixit quoq; Si quis manducat ex
hoc pane uiuet in æternum. Et qui dixit Qui manducat
meam carnem, et bibit meum sanguinem, habebit uitam
æternam. dixit etiam Panem, quem ego dabo, caro mea est
pro mundi uita. Et deniq; qui dixit Qui manducat meam
carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego
in illo: dixit nihilominus Qui manducat hunc panem
uiuet in æternum.

Cap. 2^o. Ecclesia potestas circa dispensationem sacram^{ti}. Euchar.

Præterea, declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia
fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salua illor.
substantia, ea statueret, uel mutaret, qua susipientium
utilitati, seu ipsorum Sacramentorum uenerationi, pro

rerum, temporum, et locorum uarietate magis expedire uideatur. Id autem Apostolus non obscure usus est innuisse, cum ait Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei, atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis alijs, tum in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa eius usum, cetera, inquit, cum uenero disponam. Quare agnoscens sancta, mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianae religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis laxissime, iam mutata illa consuetudine grauibus, et iustis causis adducta, hanc speciem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habenda decreuit, quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet.

Cap. 3^m Totum et integrum Christum, ac uerum Sacramentum sub qualibet specie sumi.

Insuper declarat, quamuis Redemptor noster (ut antea dictum est) in suprema illa cana hoc sacramentum in duabus speciebus instituerit, et Apostolus tradiderit, tamen fatendum esse etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, uerumque Sacramentum sumi. Ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos depraudari qui unam speciem solum accipiunt.

Cap. 4^m Paruulos non obligari ad Coenam Sacramentalem

Denique eadem sancta Synodus docet Paruulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiae Coenam, siquidem per Baptismi Lauacrum

regenerati, et Christo incorporati adeptam iam filiorum
Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Neg ideo
tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam
locis aliquando seruauit. ut enim sanctissimi
illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis
ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate
id fecisse sine controuersia credendum est.

Canones de Coeione sub utraq. specie publicati in eadem
quinta sessione s. Cone. Trident. die xvi Julij 1562

Si quis dixerit ex Dei praecepto, uel ex necessitate salutis
omnes et singulos Christifideles utramq. speciem sanctissimi
Eucharistia Sacramenti sumere debere. Anathema sit

Si quis dixerit sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis
causis, et rationibus adductam fuisse, ut laycos, atq. etiam
clericos non conficientes sub panis tantummodo, commu-
nicaret, aut in eo errasse. Anathema sit

Si quis negauerit totum et integrum Christum omnium
gratiarum fontem, et autorem sub una panis specie
sumi, quia (ut falso quidam asserunt) non secundum
ipsius Christi institutionem sub utraq. specie sumatur.
Anathema sit

Si quis dixerit paruulus, antequam ad annos discre-
tionis peruenerint necessariam esse Eucharistia Commu-
nionem. Anathema sit

Duos uero articulos alias propositos, hos. nondum
tamen excusos. uidelicet

An rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta
fuit, ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes sa-
cerdotes, sub una tantum panis specie, ita sint retinen-
da, ut nulla ratione Calicis usus cuius sit permittendus

An si ^{et} honestis, et Christiana charitati consentaneis
rationibus concedendus alicui Nationi, uel Regno
Calicis usus uideatur, sub aliquibus conditionibus con-
cedendus sit, et quanam sint illa.

Eadem sancta Synodus in aliud tempus, oblata sibi
quamprimum occasione, examinandos atque definiendos re-
seruat.

Eadem sacrosancta Oecumenica. et generalis Tridentina
Synodus in spiritu sancto legitime congregata
presidentibus in ea eisdem Apostolica sedis Legatis sta-
tuit, et decernit proximam futuram Sessionem haben-
dam, et celebrandam esse feria quinta post octauam
festi Natiuitatis beatae Mariae uirginis, qua erit. xvii.
mensis Septembris proxime futuri. Hoc tamen adiecto
quod dictum terminum, ac cuiusque Sessioni in posterum
praefigendum ipsa sancta Synodus pro eius arbitrio, et
uoluntate, sicuti rebus Concilij uidebitur expedire
etiam in generali Congregatione restringere, et pro-
rogare libere possit, et ualeat

↳ lecti sunt supradicti decreti ultimo loco post sequens
de Reformatione Decretum

Decretum de Reformatione publicatū in eadem quinta
Sessione s. Conc. Trid. die XVI July 1562

Eadem sacrosancta oecumenica, et generalis Tridentina Syno-
dus in spiritu sancto legitime congregata præsidentibus in
ea eisdem Apostolica sedis Legatis, ad Dei omnipotentis
laudem, et sanctæ Ecclesiæ ornamentum, ea quæ sequuntur
de Reformationis negotio in presenti statuenda esse censuit
Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis auaritia suscipio abesse
debet, nihil pro collatione quorumcumq; ordinum, etiam cle-
ricalis tonsuræ, nec pro literis dimissorijs, aut testimoniali-
bus, nec pro sigillo, nec alia quacumq; de causa, etiam spon-
te oblatum Episcopi, et alij ordinum collatores, aut eorum
ministri quouis prætextu accipiant Notarij uero in his
tantum locis, in quibus non uiget laudabilis consuetudo
nihil accipiendi, pro singulis literis dimissorijs, aut testi-
monialibus decimam tantum unius aurei partem acci-
pere possunt, dummodo nullum eis salarium sit constitu-
tum pro officio exercendo, nec Episcopo ex Notarij comodis,
aliquod emolumentum ex eisdem, uel ordinum collatione
directe, uel indirecte provenire possit. tunc enim gratis
operam suam eos præstare omnino teneri decernit. Con-
trarias taxas, ac statuta, et consuetudines, etiam imme-
morabiles, quorumcumq; locor, quæ potius abusus, et cor-
ruptelæ Symoniacæ prauitati fauentes, nuncupari possunt,
penitus cassando, ac interdicens; et qui secus fecerint
tam dantes, quam accipientes ultra Diuinam ultionem
penas à iure inflictas ipso facto incurrant

Cum non deceat eos, qui Diuino ministerio ascripti sunt, cui
ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem questu
exercere; Comperitumq; sit, quam plures plerisq; in locis

ad

ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui uariis artibus, atq; fallacys constringunt se beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere. Statuit sancta Synodus ne quis demceps clericus secularis quamuis alias sit idoneus moribus, scientia, et aetate ad sacros ordines promoveatur: nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum (quod sibi ad uictum honeste sufficiat, praefere possidere. Id uero beneficium resignare non possit nisi facta mentione quod ad illius beneficij titulum sit promotus, neq; ea resignatio admittatur, nisi constet quod aliunde uiuere comode possit et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium uero uel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possunt nisi illi, quos Episcopus iudicauerit assumendos pro necessitate, uel comoditate ecclesiarum suarum. Et quoq; prius perspecto, patrimonium illud uel pensionem uere ab eis obtineri, taliaq; esse, quae eis ad uitam sustentandam satis sunt, atq; illa demceps sine licentia Episcopi alienari, aut extinguere, uel remitti nullatenus possunt donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, uel aliunde sciant unde uiuere possint, antiquorum Canonum penas super his inuouando.

Cum beneficia ad Diuinum cultum, atq; ecclesiastica munia sint constituta, ne qua in parte minuatur Diuinus cultus sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur. Statuit sancta Synodus in ecclesijs Cathedralibus quam Collegiatis in quibus nulla sunt distributiones quotidiana, uel ita tenues, ut uerisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, et quorumcunq; prouentuum, et obuen-

tam

tionum tam dignitatum quam Canonatum, Personatum, portionum et officiorum, separari debere, et in distributiones quotidianas conuerti, quae inter dignitates obtinentes, et ceteros Diuinis interessentes, proportionabiliter iuxta diuisionem ab Episcopo, etiam tanquam sedis Apostolicae Delegato in ipsa prima fructuum deductione faciendam, diuidantur; saluis tamen consuetudinibus earum Ecclesiarum in quibus non residentes seu non seruientes nihil, uel minus tercia parte percipiunt. non obstantibus exemptionibus, ac alijs consuetudinibus, etiam inmemorabilibus, et appellationibus quibuscumque crescentem non seruientium contumacia, siueat contra eos procedere iuxta iuris, ac sacrorum Canonum dispositionem.

Episcopi, etiam tanquam sedis Ap^{ca} Delegati in omnibus Ecclesijs Parochialibus uel Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et cultui Diuino peragendo cogant Rectores, uel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et cultum Diuinum celebrandum In his uero in quibus ob locorum distantiam, siue difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, et Diuina officia audienda accedere non possunt, nouas parochias, etiam inuitis Rectoribus iuxta Constit. Alex. iij. qua incipit Ad audientiam, constituere possunt Illis autem sacerdotibus qui de nouo erunt Ecclesijs nouiter erectis praeficiendi

præficiendi, competens assignetur portio, arbitrio Episcopi
 ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quocumq; modo perti-
 nentibus, etsi necesse fuerit compellere possit populum ea
 subministrare, qua sufficiant ad vitam dotorum sacerdotu
 sustentandam, quacumq; reservatione generali, uel speci-
 ali, uel affectione super dictis Ecclesijs non obstantibus.
 Neq; huiusmodi ordinationes, et electiones possint tolli, nec
 impediri, ex quibuscumq; provisionibus, etiam vigore re-
 signationis, aut quibusuis alijs derogationibus, uel suspen-
 sionibus

Ut etiam Ecclesiar, status, ubi sacra Deo officia administra-
 tur, ex dignitate conseruetur, possint Episcopi, etiam
 tanq; sedis Apostolica Delegati iuxta formam iuris, sine
 tamen præiudicio obtinentium facere uniones perpe-
 tuas quarumcumq; Ecclesiar, Parochialiu, et Baptisma-
 lium, et aliorum beneficiorum curatoru, uel non cu-
 ratorum cum curatis propter earum paupertatem, et
 in ceteris casibus a iure permisis, etiam si dicta Eccle-
 siae, uel beneficia essent generaliter, uel specialiter re-
 seruata, aut qualitercumq; affecta. quae uniones etiam
 non possunt reuocari, aut quoquo modo infringi vigore
 cuiuscumq; provisionis, etiam ex causa resignationis,
 aut derogationis, aut suspensionis

Quia illiterati, et imperiti Parochialium Ecclesiarum
 Rectores sacris minus apti sunt officijs, et alij propter
 eorum uitae turpitudinem, potius destruunt, quam
 aedificent, Episcopi etiam tanq; sedis Apostolica Deli-

gati eisdem illiteratis, et imperitis si alias honeste vite sint
Coadiutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque
fructuum eisdem pro sufficienti vultu assignare, vel
aliter providere possunt, quacunque appellatione, et
exemptione remota. eos vero qui turpiter, et scandalose
vivunt, postquam premoniti fuerint, coerceant, ac castigent
etsi adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseuerent,
eos beneficijs iuxta sacrorum Canonum constitutiones
exemptione, et appellatione quacunque remota, prouandi
facultatem habeant

Cum illud quoque valde curandum sit, ne ea quae sacris mi-
nisterijs dicata sunt, temporum iniuria obsolescant, et
ex hominum memoria excidant Episcopi, etiam tamquam
Apostolicae sedis Delegati transferre possunt beneficia
simplicia, etiam iuris patronatus, ex Ecclesijs, quae
vetustate, vel alias collapsae sint, et ob eorum inopiam
nequeant instaurari, uocatis ijs, quorum interes est
in Matrices aut alias Ecclesias locorum eorundem
seu viciniorum arbitrio suo, atque in Ecclesijs erigant
altaria, vel Cappellas sub ysdem inuocationibus, vel
in iam erecta altaria, vel Cappellas transferant, cum
omnibus emolumentis, et oneribus prioribus Ecclesijs
impositis. Parochiales vero Ecclesias, etsi iuris Pa-
tronatus sint, ita collapsas refici, et instaurari pro-
curent, ex fructibus et prouentibus quibuscunque ad
easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus, qui si
non fuerint sufficientes, patronos, et omnes alios qui

fructus aliquos ex dictis Ecclesijs provenientes percipiunt
 aut in eor, defectu Parochianos omnibus medijs oppor-
 tunis ad predicta cogant, quacumq; appellatione, exemp-
 tione, et contradictione remota. Quod si minima egestate
 omnes laborent, ad Matrices, seu viciniores Ecclesias
 transferantur cum facultate tam dictas Parochiales
 q; alias Ecclesias devotas in proprios usus, non
 sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi

Quacumq; in Diocesi ad Dei cultum spectant, ab Ordi-
 narijs diligentur curari, atq; ijs, ubi oportet, provideri
 equum est. Propterea comendata Monasteria, et
 Abbacia, Prioratus, et Praepositura nuncupata, in
 quibus non viget regularis observantia, nec non bene-
 ficia tam curata, quam non curata, secularia, regula-
 ria, qualitercumq; comendata, etiam exempta ab Epis-
 copis etiam tamq; Apostolicae sedis Delegatis, annis
 singulis visitentur, curentq; iidem Episcopi congruen-
 tibus remedijs, etiam per sequestrationem fructuum, ut
 qua renovatione indigent, aut restoratione, reficiantur
 et cura animarum, si qua illis, vel illorum annexis
 immineat, aliq; debita obsequia recte exercentur.
 appellationibus, quibuscumq; consuetudinibus etiam
 immemorabili tempore perscriptis conservatorijs in-
 ducum deputationibus, et eorum inhibitionibus non
 obstantibus. Etsi in eis vigeret observantia regularis
 provideant Episcopi paternis admonitionibus, ut
 eor, Regularium superiores, iuxta eorum regularia

instituta, debitam vivendi rationem observent, et observari
faciant, et sibi subditos in officio contineant, ac moderentur,
tunc quod si admoniti intra sex menses eos non visitave-
rint, vel correxerint, tunc iidem Episcopi, etiam ut Dele-
gati sedis Apostolicae eos visitare possint, et corrigere
prout ipsi superiores possint iuxta eorum instituta
quibuscumque appellationibus, privilegiis et exemptionibus
penitus remotis, et non obstantibus

Cum multa à diversis antea Concilijs tam Lateranensi
et Viennen. q. Lugdunensi adversus pravae elemosynarum
questorum abusus remedia tunc adhibita posterioribus
temporibus reddita fuerint inutilia, potiusq. eorum
malitia, ita quotidie magno fidelium omnium scandalo
et querela, excrescere deprehendatur, ut de eorum
emendatione nulla spes relicta videatur. Statuit ut
posthac in quibuscumque Christianae religionis locis
eorum nomen, atq. usus penitus aboleatur. nec ad offi-
cium huiusmodi exercendum nullatenus admittantur.
Non obstantibus privilegiis, Ecclesijs, Monasterijs, hos-
pitalibus, pijs locis, et quibuscumque cuiuscumque gradus
status, et dignitatis personis concessis, aut consuetu-
dinibus etiam immemorabilibus. Indulgentias vero, aut
alias spirituales gratias, quibus non ideo decet Chri-
stifideles, privari demum per Ordinarium locorum
adhibitis duobus de Capitulo debitis temporibus populo
publicandas esse decernit. quibus etiam elemosynas

atq.

atq; oblata sibi charitatis subsidia, nulla proorsus mercede, de accepta fideliter colligendi facultas datur, ut tandem coelestes hos Ecclesiae thesauros non ad quatuor sed ad pietatem exerceri omnes uere intelligant.

sessio .6.

(14)

Doctrina de sanctiss. Sacrificio Missae, publicata in Sessione VI. s. Conc. Tridentini sub S. D. N. Pio PP. III die XVII mensis Septemb. 1562

Sacrosancta, Oecumenica, et generalis Tridentina Synodus in Spu sancto legitime congregata praesidentibus in ea eisdem Apost. Legatis: Ut uetus, absoluta, atque omni ex parte perfecta de magno Eucharistiae mysterio in sancta Catholica Ecclesia fides, atq; doctrina retineatur, et in sua puritate propulsatis erroribus, atq; haeresibus, conseruetur: de ea quatenus uerum, et singulare Sacrificium est, Spiritus sancti illustratione edocta, hac, qua sequuntur, docet, declarat et fidelibus populis praedicanda decernit

Caput Primum

Quoniam sub priori testamento (teste Apostolo Paulo) propter Levitici sacerdotij imbecillitatem, consummatio non erat: oportuit (Deo patre misericordiarum ita ordinante) sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech, surgere Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quot quot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, et si semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente Deo Patri oblatus erat, ut aeternam illis redemptionem operaretur